51733|A

Libreria Antiquaria
ANGELO GANDOLFI
BOLOGNA

Materia Scienz VIII
Ubicazione XLIII B
Volumi 1
Prezzo L. 2 –

1910

10.C.45. 30734

THERMÆ ALMASIENSES

QUOAD EARUM
SITUM ASPECTUM CONTENTA
VIRTUTES ET PROPRIETATES
JUSSU
EXCELSÆ
CAMERÆ
REGIÆ
HUNGARICÆ
DESCRIPTÆ
PER

JUSTUM JOANNEM
TORKOS
Medicinæ Doctorem, nec non
Liberæ Regiæque Civitatis
Poſonienſis
PHYSICUM ORDINARIUM

Poſonii, Typis Royerian. Anno MDCCXLVI.

SACRATISSIMÆ
CÆSAREÆ
REGIÆ
MAJESTATIS
DOMINÆ, DOMINÆ
CLEMENTISSIMÆ
EXCELSÆ
CAMERÆ REGIÆ
HUNGARICÆ
PRÆSIDI
VICE-PRÆSIDI
ET
CONSILIARIIS
DOMINIS, DOMINIS
PATRONIS
GRATIOSISSIMIS
COLENDISSIMIS,
VITAM ET FELICITATEM!

EXCELLENTISSIMI ILLUSTRISSIMI AC SPECTABILES DOMINI.

DE *Divo* MATTHIA I. Rege Hungariæ *narrant Hiſtorici*, *Eumdem præter* Budam & Vicegradum, *inprimis* Tatam & Comaromium

 Re-

Regalibus Ædificiis exornaſſe, illam quidem Cœnationibus auratis magnificisque Cubiculis & laqueatis Contignationibus, multo auro cælaturaque conſpicuis; Hoc autem Subdivalibus patentioribus, capacioribus Tricliniis & diverſis ubique Laquearibus, Hortis quoque Regiis & Vivariis multis: Præterea ad velificandum Danubium, quo ad amœniſſimos Pagos navigaret, Bucentaurum *Triclinio, Procœtho, Andronico, Gynæceo Atriisque decoratis inſtructum, inſtar Arcis, Danubio innatantem, conſtruxiſſe: Ad ripam Danubii infra* Comaromium, *medio milliari* Tata & Almaſio *diſtantem, ubi Romanæ Legionis veſtigia pleraque ſuperſunt, quæ hodie Latinæ gentis Coloniam, per errorem Apolloniam vocant,* Hippodromum *pro Eque-*

ſtri

ſtri Currulive certamine conſtituiſſe: Balneo quoque Thermarum, tam Tatenſium, quam Almaſienſium, uſum fuiſſe.

Ex præmiſſis patet, præmentionatum Divum Regem, *intra* Comaromium, Almaſium *&* Tatam, *Theatrum deliciarum & oblectationum ſuarum, propter ſitus amœnitatem, habuiſſe.*

Nunc quidem de ſplendore illo antiquo harum localitatum, propter viciſſitudines temporum, nil amplius conſpicitur; attamen ſupereſt ſituatio Regalibus oblectationibus accommoda & ubertas Aquarum Medicinalium *tam* Tatæ, *quam* Almáſii, *Contentis tamen & Virtute, non nihil differentium.*

Quia verò, Sacratissima Cæsareo-Regia Majestas,

 Do-

DOMINA, DOMINA CLEMENTISSIMA, *proximè præterito Anno 1744.* Dominium, *antehac Guberniale*, Comaromienſe, *Cameralibus ſuis bonis adnumeravit*, *Ejusdemque Adminiſtrationem*, EXCELSÆ CAMERÆ *commiſit & concredidit: Jam* EXCELSA CAMERA *non intermittit, novum hocce* Dominium Camerale, *ita ordinare, ut & Ærarium Regium, majus inde percipiat emolumentum, & nitor antiquus quodammodo repullulare videatur.*

Quis enim unquam putaſſet, Danubium in Trajecto Comaromienſi, Ponte volatili navigabilem reddi poſſe; attamen juſſu AUGUSTÆ *id effectum eſt, quod multis impoſſibile, nec unquam* Comaromii *videbatur, ut jam* Pons volatilis *inſtar alterius* Bucentauri *Danubio inſideat, eumdem*

ex-

exornet, trajectionemque ejusdem facillimam reddat, intra minuta quatuor enim, niſi magna obſtet tempeſtas, eumdem alioquin latiſſimum, transvolat. Hactenus trajiciebatur ibidem Danubius Remigiis, maximo cum tædio itinerantium, adeo, ut, qui ex partibus Trans-Danubianis ad haſce Superiores, vel ex his ad easdem tendebant, propter difficilem, moleſtam ac nauſeoſam trajectionem, atque longiorem moram, oneratis quamvis curribus, plura milliaria circumire maluerint: Nunc vero Trajectus iſte nimium frequentatur, magnaque hinc in itinerantes omnes, Civitatem præcipue Comaromienſem & totam Inſulam Cituorum, redundat commoditas & utilitas, atque longe majores accedunt Ærario Regio reditus.

Similiter in reliquis quoque Poſſeſſionibus & Prædiis ad hocce Dominium ſpectantibus, EXCELSÆ CAMERÆ *ſingulari & ſolerti conamine, per Emphyteuſin & Georgian, Loca ſterilia, fertilia utilia & fructuoſa, redduntur.*

Inprimis etiam EXCELSA CAMERA, Aquas Soterias, *quibus benigna Natura* Almaſium *dotavit, olim celebres, at per bella, injuriam temporum, diſturbationesque frequentes, neglectas, reſtaurare conatur: Quamobrem an Eædem tanti eſſent ponderis, ut pro Bono Publico adaptari mererentur, & ex iisdem aliquando, debiti impendii refuſio ſperari poſſet, dignabatur* EXCELSA CAMERA *me, hac æſtate ad examinandas Earum Qualitates, ad faciem loci exmittere, ſimulque mandare*

dare, ut deſuper genuinam & circumſtantialem Relationem, earumque Deſcriptionem exhiberem.

Id, cum pro tenuitate mea præſtiterim, EXCELSA CAMERA *vero, dictam Deſcriptionem Typis imprimendam ordinaverit; hinc Eamdem* EXCELSÆ CAMERÆ *conſecro, rogans, ut præſentem conatum meum ad ſalutem & incolumitatem multorum directum, pro ſua erga me Gratia, benigno & ſereno vultu aſpicere & accipere, & una me ſibi commendatum habere non dedignetur.*

DEUS autem Benigniſſimus, EXCELSAM CAMERAM *ad felicia ſervitia* CÆSAREO-REGIA *& ad conſervandam* PUBLICI PATRII STATUS *Felicitatem, communisque Boni Incrementum & In-*

 cre-

crementi Stabilimentum, quam diutiſſimè conſervet incolumem, Cui omnia mea officia humiliter defero & ſubjicio

EJUSDEM EXCELSÆ CAMERÆ

Dabam Posonii Calend. Decembr. MDCCXLVI.

Humillimus Servus
JUSTUS JOANNES TORKOS.

ALMASIUM, *Almás*, olim Oppidum, quod per injuriam temporum ac bella ſæpius deſertum, incolis caruit, nunc vero Pagus eſt, in Inclyto Comitatu Comaromienſi, ejusdemque Proceſſu Jaurinenſi exiſtens, ad Corpus Cameralium Bonorum Comaromienſium, pertinens.

Almaſii Situs & Vicinitates.

Situs ejusdem ſalubris, lætus & jucundus eſt, juxta Danubium, qui curſu rectilineo, lento & pacato, propter inſignem latitudinem, hic præter-

labi-

labitur, ad radicem Promontorii, quousque olim Pannoniam Superiorem protenſam fuiſſe, non incredibile eſt: utut enim Ptolomæus terminos Superioris Pannoniæ poſuerit Arrabonem fluvium; attamen etiam idem, Bregetium, quod hodie Colonia Latinæ Gentis vocatur, & Almaſio conterminum eſt, PannoniæSuperiori adnumeravit.

Interjecta hic, duplici ordini domuum, Platea, eſt via Poſtalis & Regia, quæ Buda & Strigonio, Jaurinum Viennamque & vice verſa, tendentibus, frequentatur.

Adluitur Almaſium, parte Septentrionali, Danubio, juxta

ta quem ultro citroque, tam ad Occaſum, quam Arctum, quaquaverſum, longe lateque, amœniſſima & fertiliſſima planicies conſpicitur: Meridionali verò parte, incumbit ei Promontorium dictum, ex quo, tam ad Meridiem quam Orientem, ſecundo Danubio, peræque ad Ortum tendente, conſurgunt, & ad plura milliaria protenduntur, Montes eximii, paſſim Marmoris latomiis inſignes.

Diſtant hinc, verſus Occaſum hybernum, *Comaromium* duo, *Jaurinum*, Pannoniæ *Arrabona*, ſeptem milliaria; verſus Meridiem, *Tata* unum, & *Banhida* Latinorum *Floriana*

na duo ; verſus Ortum æſtivum *Strigonium*,(quod ipſum, vel non procul abinde, ad viam Regiam, quæ *Budam*, Veterum *Acincum* , ducit, olim *Crumerum* exſtitiſſe , veriſimile mihi apparet , intererant enim inter utrumque M. P. XXVI.) quatuor ; & verſus Septentrionem, *Uyvarinum*, tria milliaria.

Vicinos quoque habet Pagos , inprimis verſus Occaſum , *Szóny* , in cujus territorio, ad ripam Danubii, intra Comaromium & Almaſium, ubi veſtigia Romanorum adhuc multa reperiuntur, juxta Antonini Tabulas Itinerarias, *Bregetium* Urbem maximam, ubi

ubi Valentinianus Magnus Rom. Imp. A. C. 375. ſupremum diem obiit, exſtitiſſe manifeſtum eſt, illud enim Arrabonâ M. P. xxx. Crumerô M. P. xvjjj. Florianâ M. P. vjjj. aberat: verſus Orientem vero, ad jactum balliſtæ, olim Oppidum nunc Pagum *Neſzmel*, Ruderibus antiquis, Reliquiis Urnarum, Numis, Fonte ſaluberrimo Regio dicto, & inprimis morte Alberti Cæſaris, & Regis Hungariæ, quæ Anno 1439. contigit, memorabilem. Paulo infra, ſecundo Danubio, exſtant *Sůtő*, ubi Tabacum magnâ copiâ colitur, & *Lábatlan*, Lazii *Commercium*, ubi copioſæ Ceraſi,

fru-

fructum flavum citrini coloris dulciſſimum ferentes; nec procul abhinc *Nyerges-Uyfalu*, German. *Neüdorff*, quod Tabulæ Itinerariæ Antonini, *Azaum* fuiſſe indicant, illud enim Crumerum inter & Bregetium, in medio itineris conlocant. Ex adverſa verò Danubii ripa reperiuntur, *Sitva - Torok*, Pacificatione cum Turcis Anno MDCVI. inita, celebre; Pat, ubi quondam Thermæ fuêre, nunc verò lacuna tantùm ſtagnans æſtate frigida, hyeme tepida, ſulphurei tantiſper odoris, exſtat; *Vért*, *Kurtakeſzi*, *Martzelháza* & alia vicina memorabilia loca, inprimis *Karva*, ubi

ubi Hortus, & elegans & Plantis Arboribusque Inquilinis & Exoticis inſtructiſſimus, atque Roriſmarini feraciſſimus. Cæterum, obvia ſunt circumcirca, tam in recenſitis locis, aliisque vicinitatibus, quam ad plura milliaria, Romanorum Monumenta quamplurima, quæ Rei Antiquariæ Studioſis, delectamento eſſe poſſunt. Prouti etiam proxime præteritis diebus, referente Inſigni Mathematico Regio, Samuele Mikovini, ad Tatam erutus eſt Sarcophagus Marmoreus, in quo & pars Pepli muliebris & Oſſa adhuc ſupererant, cum ſequente Inſcriptione:

D.	M.
VICTORIAE. VERINAE. CONIVGI. PIENTISSIMAE. DOMV. FORO. HADRIANENSI. PROVINCIA. GERMANIA. INFERIORI. VIXIT. ANN. XXX. AEMILIVS. DECIMINVS. MEDICVS. ORDINARIVS. LEG. I. ADI. MARITVS. BENE MERITAE.	
FAC.	CVR.

Nullus ibi alimentorum defectus.

Præterea Almáſii nullus alimentorum defectus eſt, mediocri enim & limitato pretio, optimæ carnes, bubula, vitulina & aliæ, optimique piſces, Huſonum nempe, Sturionum & Antacæorum aliorumque piſcium genera reperiuntur: Inprimis rivus, ad Almaſium, Danubio ſe commiſcens, tantis exquiſiti ſaporis cancris abundat, ut potior pars Colonorum, neglecta ferme agricul-

cultura, eorum piſcationi incumbat, & plauſtratim eosdem ad vicinas Civitates immo Viennam uſque vectitet: Altilia quoque diverſa, ut & Olera, Radices eſculentæ, Fructusque varii non deſunt: Vinum hic & Neſzmelii exculturn, leve & ſalubre eſt; Cereviſia quoque optimi ſaporis Comaromio advecta, in diverſorio ſemper reperibilis.

Aqua pro potu ordinario Incolarum adhibetur, partim Danubialis, partim Putealis, quia vero hæ peregrinis non omnibus arrident, quin potius moleſtæ ſunt, hinc ſolertius in exquirendam Aquam potui omnibus deſervientem incu-

Aquam pro potu ſaluberrimam ſuppeditant Fons Suſannæ & Regius.

 bui,

bui, talemque intrà colles, in vallicula quadam, Siſa Vǒlgy dicta, ad jactum medium balliſtæ a Pago diſtante, reperi ſcaturientem, ab Incolis neglectam quidem, ſed leviſſimam, frigidiſſimam & ſapidiſſimam, ſalubritate & jucundo ſapore præſtantiſſimam. Placuit tunc fonticulum iſtum, cum alioquin vallicula Siſa vocitaretur, eademque nemoroſa, abſcondita, aliis quoque fonticulis irrigua, viridario ſimilis ſit, Suſannæ nomine inſignire. Hæc fonticuli nominatio Incolis perplicuit, & jam obſervatur. Præterea, in vicino Territorio Neſzmelienſi, etiam duæ eximiæ Scatu-

rigines ſunt, quarum præſtantior, uti ſupra dictum, Fons Regius nominatur.

Thermæ Almaſienſes.

Inprimis vero nobilitatur Almaſium Thermis, ad radicem dicti Promontorii, in ripa Danubii glareoſa, ſtatim infra Oratorium & domum Parochi proſilientibus, quarum utut paſſim, verbo uno alterove mentio fiat in Hiſtoriis, diſtinctius tamen earum meminerunt:

Earum memînerunt.

Iſtvánfius.

Iſtvánfius Hiſtoriarum Lib. XXXIV. his verbis: Ad oppidum Almaſium, quod ad dextram Danubii ripam ſitum eſt, Thermæ e latere Collegii Monachorum, quod olim ibi pulcherrimum erat,

in Danubium profluentes, habentur.

Zeilerus. *Zeilerus* in deſcriptione Regni Hungariæ Anno MDC XLVI. edita: Ad Almaſium inquit, in ripa Danubii dextra, Balneum ſalubre, ad latus Monaſterii quondam pulcherrimi, exiſtit.

Kreckvitz. *Kreckvitz* in Deſcriptione Danubii, iiſdem fere verbis, idem protulit.

Brükmann. *Brůkmannus*, Epiſtola Itineraria nonageſima octava. Almàs, inquit, non procul Comorra vicus, balnea, vulgo, Geſund-Baad dicta, habet.

Hübner. *Hübnerus* in Lexico Geographico, meminit quidem

Ther-

Thermarum ad Almas, ſed collocat illud in Comitatum Tolnenſem e regione Calocſæ.

Eduardus Browne, prout ex Itinerarii Ejusdem L. II. P. II, c. VII patet, licet Comaromio Strigonium: *Tollius* quoque juxta Epiſtol. Itiner: V. Strigonio Comaromium in Danubio præternavigarint, & prior vicos Almaſio proximos, nempe Szöny, Neſzmel aliosque nominaverit, neſcio, quo fato curioſiſſimi Viri, nullam vel Almaſii vel Thermarum fecerunt mentionem

à Brovvnio & Tollio non obſervatæ.

Sufficit interea, ex prærecenſitis Auctoribus noſſe, jam

Thermæ iſtæ ſunt Antiquiſſimæ & ſalutares.

olim Thermas iſtas fuiſſe cognitas & pro ſalutaribus æſtimatas; appellatæ enim ſunt *Thermæ* & *Balnea ſalubria*; Thermarum nomen vero talibus tantum adſcribitur aquis, quas Natura e liberali ſinu Terræ, magna DEI benedictione, affatim ſuppeditat, ad ſanitatem, qua tuendam, qua recuperandam, quarumve uſus non ſolum eſt externus ad lavandum, ſed quandoque internus ad potum. Salubre autem eſt id, quod non lædit vel imminuit Actiones corporis ſecundum Naturam, ſed potius eas conſtituit, perficit & exaltat.

Maximum tandem Antiqui-

ta-

tatis harum Thermarum Monimentum præbuit Parietina a loco ſcaturiginum conſueto XV. paſſus diſtans & tantiſper e terra eminens, quâ per præfatum Mathematicum Regium eruderatâ, detectum eſt balnearium adhuc integrum, tres orgyias longum, totidemque latum, e lapide cæſo conſtructum, pavimento teſtaceo & lateribus legionariis bipedis ſtratum ac undiquaque opere ſignino aſtrictum, & incruſtatum, quin etiam intra Rudetum, duo Numi Romani reperti ſunt. Ex quibus tam claris argumentis & ſignis, elucet, jam ante ſesqui alterum millenarium hic exſtitiſſe

Rudera Romani Balnei.

Bajas Quiritum Bregetione & in vicinitate degentium.

Utut verò in palude ſupra Almaſium conſtituta, etiam reperiantur ſcaturigines hiſce Thermis ſimillimæ; attamen ex cunctis præmiſſis conſtat eas nunquam, ſed tantùm præſentes, de quibus ſermo eſt, a tempore Romanorum huc uſque in balneum adhibitas, atque easdem ſemper uno eodemque loco perennes fuiſſe.

Conſtitutio moderna Thermarum. Quod vero conſtitutionem præſentem harum Thermarum concernit, prout eandem Menſe Julio hujus Anni ab EXCELSA CAMERA eò exmiſſus deprehendi, breviter enar-

enarrabo: Continuit tùm has aquasThermales, labrum e trabibus pineis rudi manu fabricatum, quadrangulatum, cujus diameter erat duarum orgyiarum, profunditas pedum duorum & medii; Aqua intra illud ebullivit paſſim, ubertim & fortiter, perque foramen trabi inciſum, tanta copia tantoque impetu devolvebatur, ut rotam molarem circumagere potuiſſet: eadem clara & limpida fuit, in fundo vero Lutum nigrum, impuritatibus ſqualens, hæſit, quin Ranæ quoque copioſæ, quæ alioquin aquas ſulphureas non tolerant, ſed ab iiſdem enecantur, in eadem natitantes, intra

tra trabes degebant. Vidi etiam Pecora cornuta, e paſcuis redeuntia, gregatim & quaſi vi compulſa (quod non ſine inſigni aliqua ratione, a Brutis fieri exiſtimo) ad eamdem accurriſſe, affatim hinc bibiſſe & lætius ſaltitantia receſſiſſe: Aſſeverarunt incolæ, jumenta hinc bibentia lambitum ſalis reſpuere, Equos vero & Oves eadem non delectari.

Scaturiginum extra labrum conſtitutarum ſcrutinium.

Ut vero Aquam Thermalem, pro ſuſcipiendo ejusdem examine, puriorem obtinerem, Canale profundiore verſus Danubium ducto, alveum in fundo perforari, eumque funditus exhauriri, & a luto

aliiſque quiſquiliis ita expurgari curavi, ut fundus eſſet purus glareoſus. Evacuato alveo, obſervatum eſt a latere tribus in locis affluere Aquam plane talem, quam Thermalis eſt, hinc in altiore ripâ, Foſſa, eo præcipue latere ubi fortius adfluxerat aqua, ad diſtantiam unius orgyiæ a loco Thermarum, tres orgyias longa, multoque profundior, quam fundus alvei Thermarum erat, effodiebatur, ſed nulla ſcaturigo nec mador quiſpiam comparuit, quapropter foſſatum illud continuatum oblique, ad angulum illum, quo aqua adfluxit copioſior, ibidemque loco, uno pede

pede altiore, quam ſupremus margo labri fuit, propullulavit Eadem Aqua Thermalis, leniter ſcaturiens; ultro autem & profundius fodiendo, perventum eſt ad angulum prædictum: erat ibi canaliculus ligneus, ea ſine dubio intentione olim eò poſitus, ut aqua ſcaturiginum, ibidem extra labrum conſtitutarum, per eumdem in commune Conſervatorium, deflueret. Tandem ſupra memoratum alvei foramen, per quod omnis Aqua defluxerat, obſtructum eſt, iterumque intra mediam horam, labrum totum repletum eſt recente Aqua Thermali. Sunt præterea extra labrum

aliæ

aliæ Scaturigines, eidem contiguæ, ſimilem Aquæ Thermali profundentes Lympham, cum ſedimento albo nigrove, quæ inutiliter per glaream diffluit.

Scaturigines uno eodemque loco perennes.

Hinc patet Scaturigines harum Thermarum, Naturam illuc ſolum, ubi actu exiſtunt locaſſe, easdemque uno eodemque loco a ſeculis multis perennes eſſe; Fruſtra igitur in altiore ripa vel alibi quæri, prout nec repertæ in cellario Parochi, ubi faber quidam murarius, dum quondam cellarium illud adaptaretur, & is tum Tyro exiſteret, ſcaturiginem calidam ſe vidiſſe, ajebat.

Ne

Eædem adverſus Danubii Exundationes præmunientur.

Ne autem præmemoratæ, extra labrum repertæ Scaturigines peſſumeant, EXCELSA CAMERA reſolvit, ut cunctæ tam intra quam extra labrum conſtitutæ, remoto labro priſtino alioquin lacero, nova ſolida lapidea ciſterna elevatiore, in quantum nempe elevari poſſunt, comprehendantur, atque à majoribus Danubii exundationibus, quæ Easdem decliviori loco poſitas, & actu, dum Danubius mediocris eſt, una tantum Orgyia eumdem ſuperantes, tranſcendere ſolent, præmuniantur.

Domus balneatoria extruetur.

Et quoniam hactenus, utut multi, deſiderio balneandi in his

his Thermis tenebantur, pauci, propter hoſpitia incommoda, aliasque difficultates, Almaſium ſe contulerunt, alii vero Aquam Thermalem, quamvis non ſine magno Virtutum & Suavitatis ejusdem diſpendio, Comaromium, Tatam aliaque vicina loca advehi curarunt: hinc PublicæSa lutis procurandæ ſtudio, EXCELSA CAMERA peræque reſolvit, loco Thermis proximo, commodo & ab exundationibus ſecuro, Domum Balneatoriam, omnibus requiſitis inſtructiſſimam, ſucceſſive exædificare.

Jam notanda venit Conſtitutio Promontorii, ex quo has Conſtitutio Promontorii.

has Thermas , ortum ſuum habere, exiſtimo: Fundus ejusdem, referentibus Lapidariis, conſtat ex Terra Arenoſa, interſperſis cautibus majoribus; in hac conſtitutione aſſurgit Mons, ultra tres ſui quartalitates, ubi terra arenoſa deficit: Huic incumbit, ad altitudinem quatuor orgyiarum, Saxum, per totam Montis peripheriam, protenſum, mediocris duritiei, tantiſper madidum, hinc glauci coloris, diffractum vero & ſub divo locatum, ſenſim exareſcens, albeſcens & inſtar metalli reſonans, ex quo Fabri lapidarii, cædunt Lapides angulares, aliosque pro ornatu

ædi-

ædificiorum idoneos, reliqua cæmenta, ad ſubterraneas ſtructuras & parietes, utiliter applicant: Saxo huic, ſuperſtrata eſt Terra Argilloſa, unum pedem alta, peræque madida, ac per totam Montis peripheriam expanſa: Huic iterum incumbit, Saxum poroſum durum, magis cinerei coloris, ad altitudinem ſex orgyiarum, in cujus cavernis & antris, conſpiciuntur guttulæ aquæ deciduæ, per ſubſtratam Terram argillaceam diffluentes & abſorptæ: Ab hoc denique, in ſummitatem Montis, ubi ager colitur, exſurgit Terra Communis, ad ſeptem orgyiarum altitudinem.

 Quia

Officina & origo Thermarum.

Quia vero, per totam ſatisque amplam, hujus Promontorii peripheriam, vix uno alterove loco, Scaturigines, aquam ſtillantes tantum, reperiuntur; attamen Mons ipſe, multis humiditatibus, ſive a vaporibus ſubterraneis ibidem concentratis, ſive ex aëre deciduis, Pluviis, Rore, Nivibus abſorptis, ſcatet, neque dubium eſt, eas humiditates, ſive Centrales ſive Meteoricæ ſint, Sale acido univerſali, quin etiam ſubinde, Salino communi & Vapore materiaque pingui, imprægnatas eſſe, nec non omnia Saxa calcarea, Salis communis acidum & particulas ſulphu-

phureas, bituminoſas in ſinu ſuo fovere: Hinc Officinam, harum Thermalium Aquarum, in hujus Promontorii gremio exiſtere, in ejusdem antris profundioribus Easdem colligi, & per Canales ſubterraneos, majorem Earundem partem, in eodem loco, ubi actu Thermæ exiſtunt, minorem autem, partim in palude Almaſienſi, partim etiam in territorio Patenſi trans Danubium profundi, adeoque Originem Earum ex hoc Promontorio petendam eſſe, exiſtimo.

Conſiderando autem, hujus Aquæ Thermalis, Naturales Qualitates, primò ſe offert, Earum Tepor & Frigiditas alternans,

 Ejus-

Ejusdem conſtitutio, quoad Teporem & Frigiditatem alternans; Aeſtate enim ad modum quorumdam Cellariorum & Antrorum friget, Hyeme tepet: Utut vero Frigore Aeſtivo & Tepore Hyemali Cellariorum, inprimis *Mariotte*, ſenſus falli arguat, ex eo, quod Thermometrum in quibusdam cellariis, altero Triginta, altero Octoginta quatuor pedes profundo, majorem æſtate quam hyeme calorem, majusque hyeme frigus, quam æſtate, indicaſſet, immo in Cellariis Centum pedes profundis, æqualem & hyeme & æſtate calorem, exiſtimet: attamen, nulla propter-

pterea conſequentiæ neceſſitas eſt, ut in omnibus cellariis vel antris, Thermometra ad eumdem modum ſe gerere debeant, experientia contrarium docente. Sunt enim multa Cellaria, Aeſtate humida & frigidiſſima, ut digiti obrigeſcant, Hyeme vero arida & tepida, in quibus Thermometrum Frigoris Aeſtivi & Teporis Hyemalis, differentiam multorum graduum, manifeſtavit: Quin memoratu dignum in Comitatu Thornenſi ad Vicum Szelicze, exſtat Antrum, Lednicza dictum, de quo Clariſſimus Matthias Belius, ſingularem Obſervationem, Transactionibus Philoſo-

Illuſtratur Exemplo Cellariorum.

Antri Szeliczenſis.

ſophicis Anglicanis, inſeruit: Ea vero hujus Antri indoles eſt, ut Vere ineunte, aquam limpidam paſſim exſudet, & quo Aër magis incaleſcit, eò Frigus antri magis intendatur; Aeſtate vero & Syrio urente, in Glaciem intus abeant omnia, adeo, ut hebdomadatim ejus antri glacie, ſexcenti currus onerari queant; deinde Autumno, pro menſium ingenio, ſenſim frigeſcente, antri Frigus quoque remittat & Glacies diffluat; Hyeme tandem præſente, totum Antrum exareſcat, fiatque muſcarum, culicum, veſpertilionum, leporum vulpiumque domicilium.

Hæc prout per quatuor Anni tempora contingunt, ita etiam per Diei naturalis quatuor tempora, quæ quodammodo reſpondent quatuor Anni temporibus, (Aurora enim, leni tepore vernat; Meridies, ſolis calore, uti ſumma æſtas, incaleſcit; Crepuſculum, inſtar Autumni, qualitates aëris evariat; deinde Nox, quaſi altera Hyems, frigore torpet) contingere poſſunt. Neutiquam igitur, fabuloſus cenſendus eſt Fons Solis ad Fanum Jovis Hammonis, cujus meminerunt diverſi ſcriptores, Arrianus, Curtius, Lucanus, Lucretius, Mela, Ovidius, Plinius, Ptolomæus, Solinus aliique; is

Fontis Hammonis.

is enim in Aurora tepidus, Meridie frigidus, Crepuſculo iterum tepidus, Nocte tandem media, fervidus fuit.

Cauſa harum mutationum, Harum vero mutationum Cauſa Phyſica conſiſtit, in diverſa habitudine Aëris atmosphærici, ad Materiam ſeu Principium Caloris ſubterranei. Quemadmodum enim in Aeſtate, Aqua calida in terram defoſſa, ſuperſtructo igne, aut eadem fervens, ad Solem ocius, quam in umbra gelida, refrigeratur, quia ſimile allicit ſimile, id eſt, calor externus prolicit internum: ita calido, attenuato atque laxiore exiſtente Aëre, Materia caloris ſubterranei, alioquin

Na-

Naturâ, a centro ad ſuperficiem tendens, calore quoque externo allecta, avolat atque diſſipatur, adeoque Rebus & Antris ſubterraneis, vim ſui caloris impertiri nequit, ſed Ea naturalem ſuam frigiditatem retinent: E contra, ſicut Hyeme, quædam Flumina vaporant, nec conglaciantur, & vini, in dolio frigori expoſiti, pars aquea, circumgelata conſpicitur, partibus oleoſis, pinguibus & ſpirituoſis, in centrum recedentibus, immo Hippocrate innuente, Corpora quoque animalia, hyeme calidiora ſunt; quia Aër frigidus, virtute ſua condenſante, comprimente, è ſu-

è ſuperficie ad Centrum collineante, calorem ipſum, calorisque Materiam reprimit & concentrat: ita quoque dum Cœlum riget, Frigus, meatus & poros terræ adſtringit & obdurat, hinc Materia Caloris ſubterranei avolare nequit, ſed potius, in Antra reſtricta, augeſcit, ibidemque motu inteſtino agitata, majorem calorem excitat, adeoque loca & Antra ſubterranea, cum Aquis contentis calefacit. Prout itaque præmiſſa, ſuo Fundamento & rationibus nituntur, ita quoque Cauſæ, frigoris æſtivi & teporis hyemalis harum Thermarum, conceptus, analogus eſſe poteſt.

eſt. Ubi vero Thermæ, perpetuo calore gaudent, exiſtimandum eſt, Antra earumdem, profundius deliteſcere, quam virtus aëris atmoſphærici penetrare, caloremque eorum vel elicere vel reprimere poſſet, adeoque illa, per Materiam caloris, magis concentratam & quaſi incarceratam, perpetuo foveri & calefieri.

Haud probabilis itaque eſt, quorumdam opinio, has Thermas tempore Romanorum, toto anno calentes fuiſſe, alioqui non meruiſſent tam magnifica & ſumptuoſa ſtructura, qualis reperta eſt, exornari: conſtat enim, exemplo Thermarum Diocletianarum &

Hæ Thermæ nunquam caluerunt toto Anno.

& Antoninianarum, in quarum priore, uno eodemque tempore & hora, ultra ter mille, poſteriore vero, mille ſexcenti homines, balneare poterant, per diverſas fiſtulas ſibi incumbentes, & frigidam & tepidam & ferventem aquam, in balnearia immiſſam fuiſſe: ideoque Romanos non ſemper *naturâ* calidas ſed etiam frigidas in Balneum adhibuiſſe, Regiisque ædificiis decoraſſe.

Thermarum Odor. Odor eſt ſuavis ſulphureus, Pulmonibus haud gravis, nec Animalibus, Piſcibus vel Ranis deleterius. Is, Aqua Thermali excoctâ, ſtatim, & vaſe aperto repoſitâ, intra paucas horas, totus

totus avolat; vitro autem obſtructo diutius perdurat, tandemque odorem gravem, inſtar ovi cocti vel potius fœtidi, refert.

Sapor non eſt ingratus iisdem, qui odorem ſulphureum tolerare poſſunt. Excocta vero, prout omni ſulphureo odore, ita & eodem ſapore privatur, adeo, ut infuſum Theæ cum Eadem paratum, diſtingui nequeat, ab alio infuſo, Aquâ fontanâ, præparato. Sapor.

Color eſt limpidiſſimus, ut Numus, fundo alvei injectus, renideat; turbatur tamen quodammodo, tempeſtate aliqua ingruente, vel per plures dies, vaſe aperto, recondita. Color.

Jam

Examen Aquæ Thermalis Phyſico-Chymicum.

Jam ſubnecto ipſius Aquæ Thermalis analyſin Chymicam.

I. *Per Liquores probaticos.*

AD has probationes, adhibui Aquam Thermalem, tam ex ipſo fonte recenter hauſtam, quam etiam, ad medietatem incoctam.

Ab Oleo tartari per deliquium, Liquore nitri fixi, Oculis cancrinis; Oleo Vitrioli, Spiritibus acidis, Vitrioli, Nitri, Salis communis; Spiritu ſalis ammoniaci, Borrace, Cremore tartari, Aceto, Saccharo, Lacte, Mercurio ſublimato, in utraque, nulla mutatio coloris, turbatio, reactio vel efferveſcentia, obſervata. A Gallis turcicis, Coccionellis, Balauſtiis, nulla apparuit nigredo, nec alia mutatio, quam in ſimplice pluviali vel fluviali fieri ſolet. A ſyrupo violarum, Aqua Thermalis recens hauſta nec rubebat nec virideſcebat; repoſita vero per ſex horas, obſervabatur modicè vireſcere; e contra, Eadem ad medietatem incocta, illico pulcherrimum virorem obtinuit. Hæſit hic animus, quare aqua recens ſul-

ſulphurea, Syrupo virorem, non tam promte intulerit, quam excocta & ſulphure privata, cum alioquin, Spiritus Sulphuris volatilis arte paratus, Eidem illico virorem conciliet. Hanc igitur, in aqua ad medietatem incocta, ſubitaneam coloris mutationem, non alii rei, quam Sali Thermarum, per coctionem & evaporationem aquæ Thermalis, magis concentrato, adſcribendum cenſeo: Ab aqua Calcis vivæ, utraque lacteſcebat: A ſolutione Sacchari Saturni, odor ſulphureus, recentis Aquæ Thermalis, nimium quantum imminutus eſt; utraque vero, & recens & incocta, æqualiter pullum colorem obtinuit. A Vitrioli Martis granis duobus, unciæ uni utriusque & recentis & incoctæ aquæ admixtis, illa odore ſulphureo caſtrata, utraque vero intra horam in gramineum virorem exaltata eſt. Præterea, ex aqua e fonte celerius hauſta, vel in aliud vitrum transfuſa, multæ bullulæ æthereæ, inſtar vaporis acidularum, ex fundo vitri, ad ſuperficiem tendentes, exſiliebant, vitrique lateribus, inſtar Margaritarum, adhærebant.

II. Per Deſtillationem Librarum duarum e Vaſis vitreis.

I. EX Maris balneo. Comparuerant primò, in alembico, varii colores, inſtar iridis, deinde continuata deſtillatione, ſtriæ ſubtiles, quales in Spiritus vini rectificatione obſervantur, apparuerunt; ultimatim elevabatur etiam pollen tenuiſſimum, alembico ejusdemque roſtro, adhærens. Aqua deſtillata, erat odoris quodammodo penetrantis, non tamen aduſti vel ſulphurei. Reſiduus hinc manſit in fundo cucurbitæ Pulvis, modice ſalſus, in quantum abradi potuit, pendens ſcrupulum unum.

II. Ex Arena. Omnia erant, uti prius, excepto eo, quod aqua deſtillata fuit tantiſper nidoroſa, pulvis reſiduus copioſior & parum aduſtus.

III. Per Decoctionem & Evaporationem librarum XII. ex Lebete ferreo.

INtra coctionem, odor ſulphureus illico evanuit, Aquæ innatarunt flocculi. Pulvis reſiduus hinc obtentus, fuit albus, odoris nidoroſi, modice ſalſus,

ſus, pendens drachmas duas. Non eſt dubitandum, intra coctionem, multas evolaſſe particulas terreſtres calcareas, quales, intra deſtillandum, in Alembicis conſpiciebantur.

IV. Per Evaporationem Libræ unius ſub Dio, per Solis calorem.

EXpoſita libra una, vaſe figulino bene vitreato, vitro convexo tecto, urentibus ſolis radiis, intra xij horas, tota evaporavit. Pulvis reſiduus obtentus, pendebat grana quindecim.

V. Per Separationem Salis a Pulvere Reſiduo.

REſiduo Pulveri, affuſum Oleum Vitrioli, vix attigit illum, ſuperaffuſa vero aqua, magna efferveſcentia facta eſt, nullo tamen conſpicuo fumo, niſi quod odor concitatus ſit quidam aduſtus: miſcebatur quoque, pulvere Salis Armoniaci, ſed modicus ſaltem odor volatilis, inde prodiit. Ex reliqua parte, elutriatum eſt ſal, quod cryſtallos figuræ hexagonæ præbuit, pendentes grana viginti. Hoc Sal, prunæ candenti inſper-

 ſum,

ſum, nec crepitabat, nec fulgurabat, nec ſpumabat; aqua ſolutum, nec ab acidis nec alcalibus effervebat, nec ſale ammoniaco mixtum, volatilem odorem reddebat; Ab Oleo tartari autem, Aqua Calcisvivæ, Spiritu vini & Salis ammoniaci turbabatur & lacteſcebat, atque Syrupo violarum, pulchrum viridem colorem conciliabat. Pulvis ſale orbatus, iterum miſcebatur ſale ammoniaco, iterumque modicum ſaltem ſparſit odorem: Magneti vero admotum, nihil ejusdem Ei adhæſit.

VI. Per Luti Thermalis Calcinationem.

LUtum Thermale, dum madidum eſt, nigricat, ſiccatum gryſei coloris fit, cui affuſus Spiritus vitrioli, ſulphureum odorem reſuſcitavit. Poſtea vero calcinatum, album colorem obtinuit, nec quidquam Ejusdem, per Magnetem attractum eſt.

VII. Per Immerſionem Argenti & Laminæ ferreæ.

ARgentum, intra ſeptem minuta, prorſus denigratum eſt, Lamina ferrea quo-

quoque, evacuato alveo, inferiore ſui parte, fundo Thermarum inſiſtens, fuligine nigerrima ſulphurea, parte ſuperiore vero, Aquâ Thermali, tectâ, pulvere atro-viridi & flaveſcente ſulphureo, obducebatur; margini autem ejusdem, extra Aquam tantiſper prominenti, adhæſit pulvis aurantii coloris, ochreaceus, vel rubiginoſus.

VIII. Per Librationem cum Inſtrumento Statico.

INdicavit illud Libræ uni, Aquæ Thermalis, ineſſe, partium terreſtrium & ſolidarum, drachmam mediam: In aqua autem deſtillata Thermali, ad eum gradum immerſum eſt, quo in aqua pluviali conſiſtere ſolet.

Harum igitur Obſervationum & Probationum Phyſico-Chymicarum vigore, partes conſtitutivas, hujus Aquæ Thermalis, facile colligere licet, eſſe nimirum: Contenta Thermarum.

I. Aquam, copioſo Spiritu æthereo, imprægnatam.

II. Sulphur copioſum, ſubtile & volatile.

III. Ramenta ſaxoſa, terreo-calcarea.

IV. Sal mediæ naturæ, é genere Salium Mirabilium.

Virtutes Earum Generales.

Cum itaque, *Aqua* hæc, non tantum Humectet, Leniat, Poros cutis aperiat, Salia peregrina morboſa imbibat, Humores viſcidos diluat & reſolvat, Obſtructiones pondere ſuo reſeret, Nervos, Tendines, Ligamenta emolliat; ſed inprimis, virtute inſiti illius ſpiritus ætherei, non tam Refrigeret, quam Calefaciat, ſuaque eximia penetrantia & incoër-

coërcibili ſpirituoſitate & volatilitate, totum Corpus pervadat; Organa excretoria ſtimulet; Naturam ad motus faciendos & excretiones peragendas excitet: *Sulphur* vim habeat diſcutientem, reſolventem, calefacientem, expellentem, abſtergentem, ſiccantem, dolores mitigantem: *Ramenta ſaxoſa, terreo-Calcarea*, Virtutibus acidum & acre abſorbente, abſtergente & ſiccante gaudeat: *Sal* denique efficaciter aperiat, digerat, attenuet, incidat, reſolvat: *Lutum* præterea Thermale, quod nil aliud eſt, quam pars aliqua ſulphuris, cum Terra ſeu ramentis ſaxeis al-

calinæ indolis, intime coaleſcens, & ſeceſſione ab Aqua Thermali facta, nigri pulveris formâ ſubſidens, diſcutiat, reſolvat, roboret, exſiccet, conſolidet: Eluceſcit hinc, quantis tam internis, quam externis affectionibus medendis, Thermæ iſtæ, vigore ſuorum contentorum, horumque mixtione intima, & virtute ad intima Corporis penetrante, idoneæ & proficuæ eſſe poſſint.

Speciales. Longum quidem foret, in præſentiarum, omnia morborum genera, in quibus rationabiliter ſperandum, has Thermas prodeſſe poſſe, recenſere, ſufficiat ea nominaſſe, in quibus

bus; Easdem, optatos jam præſtitiſſe effectus, Exempla certa mihi cognita ſunt, partim autographo Eorum, qui his Thermis uſi ſunt, roborata, partim ab aliis fide dignis Perſonis mihi recenſita, nimirum: Membrorum artuumque debilitatem, tremorem, ſtuporem, paralyſin, tenſionem, contracturam, & ad motum ineptitudinem; eorumdem Dolores, Arthritidem, intolerabilem Iſchiadem, Rhevmatismos, Dolores frigidos per artus diſcurrentes, Dorſi lumborumque cruciatus, Tumores & tubercula juncturarum; Obſtructiones, Tumores, Scirrhos Hepatis, Splenis, Pan-

creatis, Meſenterii; Affectionem hypochondriacam & hyſtericam, cum centuria ſuorum ſymptomatum; Appetitum abolitum; Maciem; URINÆ INCONTINENTIAM; Hæmorrhoidum dolores; Ulcera veſicæ; Cachexiam; In Mulieribus præcipuè Fluorem album, Menſium obſtructionem, Matricem tumentem & induratam, Prolapſum uteri; Tumores œdematoſos; Ulcera antiqua; Scabiem, Lichenas, Serpiginem & inprimis, obſcœnarum partium Ulcera & Pruritum intolerabilem.

Varia circa balnea.

Recenſitis Thermarum Viribus, earumque in diverſis

mor-

morbis effectu ſalutari, jam tionem obſervanda.
conſiderandum eſt, quanam
dextra methodo, Eædem adhiberi debeant, quidve obſervandum ſit, tam circa ipſam Aquam Thermalem, quam Individua balneantia: Quomodo nimirum, Ea ante uſum Thermarum præparanda: Quo Anni tempore, quibus horis, quotue diebus, pro diverſitate Aetatum, Virium, Temperamentorum, diverſorumque Graduum affectionum morboſarum, balneandum ſit: Quid ante ingreſſum cujuslibet Balnei, & poſt egreſſum ex eodem, agendum: E quibus ſignis cognoſcere poſſint, Balneum ſibi profuturum vel

vel nociturum : Quomodo Cutis eroſionem evitare, vel ſi eadem jam præſens, ab Eadem liberari queant.

Quomodo Aqua Thermalis pro balneo calefieri debeat.

Quod primùm ad Aquam Thermalem attinet, cum ea, uti ſupra notatum eſt, Aeſtate frigida, Vere & Autumno leniter tepida & Hyeme tantum, calida ſit, hinc, utut Hyeme, Calefactione non indigeat, attamen reliquis Anni temporibus, pro uſu balneationis calefieri debet. Relatum mihi eſt, unam urnam ferventis, ejusdem frigidæ quinque urnis, teporem lacteum conciliare, atque ſic pro balneo commodiſſime adhiberi poſſe; qui vero tepidiore delectan-

ctantur balneo, eos duas tresve ferventis Aquæ urnas, tribus vel quatuor frigidæ urnis, admiſcere ſolere. Quia vero, intra coquendum, tota mixtio, partium conſtitutivarum, conturbatur, atque ſulphuris illius ſuavis & ſubtilis, nec non ſpiritus ætherei, virtus medicamentoſa peſſumit, præſtantius fore Balneum arbitror, ſi Aqua Thermalis haud excoquatur, ſed tantum benè calefiat, ſine ebullitione & ſpumatione, atque ſic, pro diverſo gradu Teporis & Frigiditatis Thermarum, per Anni tempora variantis, ad juſtam temperaturam, pro cujuslibet balneantis toleran-

tia,

tia, natura ac genio, majore vel minore quantitate, reliquæ Aquæ Thermali, admiſceatur.

Qui, ad balneandum, ineptі.

Deinde, balneare volentes, probe ſe examinent, an ad balneationem apti ſint; qui enim ſunt ætate decrepita, vel nimium tenella, hectici quoque & nimium extenuati, item aſthmatici, catarrhoſi, lue venerea affecti, nullam hinc percipere poſſunt utilitatem.

Corporis præparatio, pro Balneo.

Alii vero, Corpora prævie, per univerſalia, laxationem nempe, & ſi adſueti ſunt, vel abundantia ſanguinis id exigit, miſſionem ſanguinis, præparent, eaque ſic, ad recipiendas Thermarum virtutes, diſpo-

ſponant; nam qui impuro corpore, balneis utuntur, non modo, non juvantur, ſed ex levioribus, in graviores morbos incidunt.

Adhæc, tempora balneandi commodiſſima ſuppeditant, Menſes temperatiores Vernales, Aeſtivi & Autumnales: nec audiendi, qui regnante Canicula, balneis interdicunt, in Climate namque noſtro, raro tam æſtuans Syrius eſt, ut tanta Corporum pertimeſcenda ſit exſolutio, quæ balneo tolerando, matutinis præcipue ac veſpertinis horis, non ſufficiat: quin menſibus quoque Hyemalibus, ſi neceſſitas exigit, in tepidis Cubiculis, hæ Tempora balneandi.

Ther-

Thermæ, ſecurè adhiberi poſſunt.

Quot horis, quotve diebus balneandum.

Quia præterea, magna diverſitas eſt Individuorum, quoad Aetatem, Vires, Temperamentum, diverſique Gradus morborum, quibus afficiuntur; hinc etiam diverſus ordo requiritur, quot horis, quivis balneo immorari, quotve diebus balneare debeat: Quamobrem quilibet, pro ratione virium ſuarum, gradu morbi ſui, atque tolerantia Naturæ & complexionis ſuæ, ex ſequentibus, tribus balneandi Normis, unam eligere, atque juxta eamdem, Balneum ſuum inſtituere & continuare poteſt.

Norma I. juxta quam, intra Septem Dies, 15. Horis balneandum.

Die 1.)	Ante merid.	1. hora	Poſt mer.		$\frac{1}{2}$ hora.
2.)	A.	m.	$1\frac{1}{4}$. hor.	P.	m.	$\frac{3}{4}$. hor.
3.)	A.	m.	$1\frac{1}{2}$. hor.	P.	m	1. hor.
4.)	A.	m.	$1\frac{3}{4}$. hor.	P.	m.	$1\frac{1}{4}$ hor.
5.)	A.	m.	$1\frac{1}{2}$. hor.	P.	m.	1. hor.
6.)	A.	m.	$1\frac{1}{4}$. hor.	P.	m.	$\frac{3}{4}$ hor.
7.)	A.	m.	1. hor.	P.	m.	$\frac{1}{2}$. hor.
			$9\frac{1}{4}$. hor.			$5\frac{3}{4}$ hor.

Summa. 15. horæ.

Norma II. juxta quam, intra Decem Dies, 30. Horis balneandum.

Die 1.)	Ante merid.		1. hor.	P. mer.		1. hora.
2.)	A.	m.	$1\frac{1}{2}$. hor.	P.	m.	1. hor.
3.)	A.	m.	2. hor.	P.	m.	$1\frac{1}{2}$. hor.
4.)	A.	m.	2. hor.	P.	m.	$1\frac{1}{2}$. hor.
5.)	A.	m.	2. hor.	P.	m.	$1\frac{1}{2}$. hor.
6.)	A.	m.	2. hor.	P.	m.	$1\frac{1}{2}$. hor.
7.)	A.	m.	2. hor.	P.	m.	$1\frac{1}{2}$. hor.
8.)	A.	m.	2. hor.	P.	m.	$1\frac{1}{2}$. hor.
9.)	A.	m.	$1\frac{1}{2}$. hor.	P.	m.	1. hor.
10.)	A.	m.	1. hor.	P.	m.	1. hor.
			17. hor.			13. hor.

Summa. 30. horæ.

Norma III. juxta quam, intra Quindecim Dies, 50. Horis balneandum.

Die					
1.)	Ante merid.	1. hor.	Poſt merid.	$\frac{3}{4}$. hor.	
2.)	A. m.	$1\frac{1}{2}$. hor.	P. m.	1. hor.	
3.)	A. m.	2. hor.	P. m.	$1\frac{1}{4}$. hor.	
4.)	A. m.	2. hor.	P. m.	$1\frac{1}{2}$. hor.	
5.)	A. m.	2. hor.	P. m.	$1\frac{3}{4}$. hor.	
6.)	A. m.	2. hor.	P. m.	$1\frac{3}{4}$. hor.	
7.)	A. m.	$2\frac{1}{4}$. hor.	P. m.	2. hor.	
8.)	A. m.	$2\frac{1}{2}$. hor.	P. m.	2. hor.	
9.)	A. m.	$2\frac{1}{4}$. hor.	P. m.	2. hor.	
10.)	A. m.	2. hor.	P. m.	$1\frac{3}{4}$ hor.	
11.)	A. m.	2. hor.	P. m.	$1\frac{3}{4}$. hor.	
12.)	A. m.	2. hor.	P. m.	$1\frac{1}{2}$. hor.	
13.)	A. m.	2. hor.	P. m.	$1\frac{1}{4}$. hor.	
14.)	A. m.	$1\frac{1}{2}$. hor.	P. m.	1. hor.	
15.)	A. m.	1. hor.	P. m.	$\frac{3}{4}$. hor.	
		28. hor.		22. hor.	
		Summa 50. horæ.			

Hic notandum, Primam & Secundam Normam, valituram tenerioribus, debilioribus, ſenibus, temperamentis cali-

calidis, quive parvi morbi,vel præſervationis tantum cauſa, Thermis iſtis uti velint; Tertia norma vero, eſt adverſus quoscunque contumaciores morbos. Juxta omnes autem Normas, ſi neceſſitas exigit, Primam quidem & Secundam, unius alteriusve Diei, juxta Tertiam vero, unius, duarum, trium vel quatuor Septimanarum, interpoſitâ morâ, balneationes denuo repeti & reiterari poſſunt. Sic exiſtimo, unicuique, præſcripto numero horarum, juxta triplicem hanc Normam, pro ſua Natura & ſtatu ſatisfieri, niſi forte quid eveniat, quod vel ſemel tantum, in die lavan-

 dum,

dum, ut omnibus, valde imbecillis, conſulo, vel prorſus abſtinendum a balneo, ſuadeat.

Signa Eventus Boni vel Mali.

Quicunque igitur, primis ſtatim diebus, intra balneandum, ventris inflationes & tormina, vel in primo ingreſſu, ſe intus uri & rodi, deinde vero horripilationes, ut & majorem in egreſſu è balneo, laſſitudinem & gravitatem membrorum, percipiunt, illi primùm, per duos aut tres dies, à balneo abſtineant, ſique poſt refectionem, denuo balneando, eadem experiuntur, certi eſſe poſſunt, Thermas Ipſis neutiquam profuturas, adeoque prorſus intermittendas: ita

ita etiam menſtruatæ, intra primos quatuor vel quinque dies, à balneo abſtinere debent. E contra, quibus, primis ſtatim balneis, venter ſpinam verſus contrahitur, & appetitus comedendi reſuſcitatur, quive poſt quodlibet balneum, ſibi leviores videntur, his Balneatio, omni modo utilis erit & proficua.

Expedit tamen noſſe, quæ in Ingreſſu balnei, & Egreſſu ex eodem, obſervanda ſint, nimirum: Balneum ante meridiem ingrediendum eſt, ſomno bene diſcuſſo, ventre alleviato, faſciis quodammodo ſtricto, & ſi ſtomachus imbecillis eſt, juſculo ſumto, nec *Quid ante & poſt Balneum agendum?*

uno impetu inſidendum, ſed paulatim corpus immergendum eſt. Balnea pomeridiana verò, coctione bene peracta, tertia nempe vel quarta, à ſumto prandio, hora, ſuſcipiantur. In Egreſſu è balneo, Corpore prius deterſo, vitato quoque, quantum fieri poteſt, frigidi aëris attactu, quilibet in ſuum ſe conclave recipiat, in lecto ſuo conquieſcat, nec ſudorem vel madorem prorumpentem ſupprimat, prohibeat vel intercipiat, ſed per mediam horam eidem indulgeat.

Cutis expuſtulatio. Quod Cutis Expuſtulationem & eroſionem concernit, ea quidem raro contingit illis,

lis, qui Corpus ante Balneum, bene præpararunt, illud non ſtatim, à paſtu ingrediuntur, numerum horarum in Normis deſignatum, non tranſcendunt, Diætam debitam obſervant, & poſt quodlibet Balneum, modice ſudant: attamen, ſi cui contingat, tum is, abſoluta, juxta quamcunque Normam, balneatione, adhuc per 4. vel 5. dies, quotidie ſemel, ante meridiem, balneo tepidiore, prout tolerare poteſt, utatur, per duos vel tres quadrantes horæ ei immorando, & deſuper in lecto leniter ſudando, ita facile ab eadem liberabitur, & cutis ſuo nitori reſtituetur.

Diæta. Quod denique ad Diætam attinet, eam talem eſſe debere cenſeo, quæ Conſtitutioni & Viribus reſpondeat, vel cui balneans jam aſſuetus eſt; attamen quilibet evitare debet, Carnes duras, ſalitas ac fumo induratas, Piſces ſalitos, ſiccos ac in locis cœnoſis captos, Ova dura, Lacticinia, Lac ipſum, Caſeum, nimis Acida, Piperata, Farinacea dura, frixa & pinguia, Allium, Raphanos, Cucumeres, Fungos, Omnia denique Flatulenta, Cruda & Immatura: In reliquo, multa ſuppetunt alimenta, ut, quamvis quilibet balneans, pro ratione ſuæ Conſtitutionis, Medice, attamen

men haud Miſere, vivere cogatur. Quantitas potius ciborum & potus moderanda, ne ea Ventriculum aggravet & moleſtet; nec ſubinde appetitui quidquam detrahendum, ſed nec copioſe, vel ultra ſatietatem ingerendum eſt: Omne nimium enim vertitur in vitium, & nimia ciborum multitudo atque varietas, juxta Eccleſiaſticum, eſt infirmitas.

Hæc omnia vero, quæ de modo utendi hiſce Thermis, & de obſervandis circa Easdem, notata ſunt, ſpeciminis tantùm loco, indigitare volui: Cætera, pro ratione variantium Circumſtantiarum ac

Symptomatum, ſubinde, intra uſum Thermarum, evenientium, cujuslibet periti & experti Medici, directioni permittens.

Stillicidiorum & Vaporationum utilitas.

Reliquum adhuc eſt, ut quædam, de aliis quoque Aqua Thermali utendi modis, ſubnectam. Prout itaque, præ balneatione, in quibusdam morbis, utiliora ſunt Stillicidia & Vaporationes; Illa quidem in Iſchiade, Hemicrania, Surditate, aliisque inveteratis tam Capitis quam Nervorum, Juncturarumque Affectionibus; Hæ autem in Hydrope, Oedematibus, Herniis recentioribus, Membris rigidis, contractis, Junctura-

rum

rum irduratione, quæ a vulneribus, vel aliis etiam cauſis ſolet accidere: Ita quoque EXCELSA CAMERA, in exſtruenda ſucceſſive Domo Balneatoria, peculiaria, ad has Operationes, uſumque Aquæ Thermalis Stillatitium & Vaporoſum, accommodari curabit, Cubicula.

Potus hujus Aquæ Thermalis, non quidem adeo uſitatus eſt, attamen ex fide digna relatione conſtat, quemdam Hydropicum, Eamdem cum euphoria bibiſſe. Ego ipſe, Almaſii exiſtens, binis diebus mane, ſemper Libram unam, Ejusdem recentis & frigidæ, ex ſcaturigine hauſtæ, bibi, Thermo-potatio.

nec

nec ullam inde ſenſi moleſtiam, quin potius, per Eamdem, alvum ſolvi obſervaveram: quamobrem, haud dubitandum, uſum quoque internum Ejusdem, utilem & proficuum fore, prout nec Pecoribus nocet, ſed ea exhilarat. De modo autem, ordine & quantitate hujus Thermopotationis, nil certi determinare queo, cum Exempla & Experimenta ſufficientia deſint, niſi fors aliqui, contra conſtipationes alvi, intra balneandum ſubinde contingentes, Exemplum de me ſumere, illudque imitari velint.

Lutatio. Quod tandem Lutum nigrum, in fundo harum Therma.

marum, conſpicuum, atque majore copia, in ſupra memorata Paluſtri ſcaturigine, reperibile, concernit, nullum dubium eſt, inſtar aliorum Lutorum Thermalium, Illud, in Tumoribus, Contracturis, Iſchiade, Artubus reſolutis & paralyticis, Ulceribus, Scabie, Lepra, Artuum doloribus omnibus, prodeſſe poſſe: prout etiam Exemplis certis jam comprobatum eſt, in Arthritide & Ulceribus antiquis Ejusdem illutationem profuiſſe.

Hæc itaque ſunt, quæ juxta Ordinationem EXCELSAE CAMERAE REGIAE HVNGARICAE, de Thermis Almaſi- Concluſio.

maſienſibus, quoad Earum Situationem, Commoditates, Aquarumque Thermalium Eſſentiam, Vires, Laudes ac Medicinas, Uſumque breviter, attamen ſufficienter exponere volui.

Optandum inſimul, ut EXCELSA CAMERA REGIA, ſingulare hoc Naturæ Donum, accommodatis, prout jam decrevit, Aedificiis exornare dignetur, ut & Aegroti illuc confluentes, ſalubria hinc adjumenta percipere queant, & Patria Noſtra, tam utilium Balneorum Dote, fiat Illuſtrior.

FINIS.

34
C
44
E